et palam sit, quid, pro qua persona in annum expen-
datur: sed submissè petierunt Patres Regentes,
ut illis ex Urbe submitteretur exemplar, iuxta
quod rationes imposterum scriberentur; nam
cum in hoc Alumnatu victus, vestitus, ligna,
charta, libri, et his similia ferè omnia emantur in cumulo non pro uno dumtaxat, atque
altero Alumno, sed pro omnibus simul sumptis,
ac iis pro uniuscuiusque necessitatibus distri-
buantur, difficile, ac periculo errandi obnoxium
videtur illa quae sunt in cumulo empta pro om-
nibus, subdividere, deinde singulos, qui diversi-
modè indigent, atque adeo plus, minusve insu-
munt. Et intellexi praescriptam fuisse Roma
formulam rationum reddendarum, iuxta quam
à meis Antecessoribus et à me reddebantur,
Romamque promovebantur ad Sacram Cong.nem
de Propaganda fide rationes; et hoc modo par-
citur maioribus sumptibus in promovendis
Romam rationibus, nec brevitas illarum quid-
quam detrahit veritati, quia prolixiores in par-
ticulari, et per menses singulos annis singulis
per Patrem Provincialem Societatis Jesu
accipiunt ex Patribus Regentibus rationes per-
ceptorum, et expositorum, subscribunturque in
libro ad hoc deputato. Remittuntur item ab
eodem rationes in Urbem mitti solitae, quae